

www.e-rara.ch

Dialogorum Platonis argumenta

Tiedemann, Dieterich

Biponti, MDCCLXXXVI [1786]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 2796

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-32325>

Io.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

que unum esse poenarum omnium & praemiorum in altera
vita fundamentum, demonstrantes, fatis cuique constat.

I O.

RHAPSODORUM nomine Graeciam peragrabant poëtarum interpretes & praelectores, qui accepto pretio publice poëtam aliquem recitabant, Homerum, Orpheum, aut alium, cuius carmina memoriae mandaverant. Ex hoc hominum genere Ioni obviam Socrates factus, de natura ac indole huius interpretationis cum eo disputat, ac rhapsodorum, ut & poëtarum praestantiam, non ab arte, sed instinctu & afflatu quodam divino, pendere demonstrat. Postquam de Homero tantum, non autem Hesiodo aliove poëta, praeclare sese posse dicere Io narravit; Socrates, arti minime id deberi, infert, siquidem ars omnis aptos nos reddit, de omnibus, quae sunt eius artis, iudicare ac differere, ut arithmeticae peritus de omnibus, quae spectant numeros, medicus de omnibus, quae pertinent ad morbos, dicere optime valet; adeoque rhapsodus poëtas quoque omnes interpretari optime deberet. Cum autem arte hoc non fiat, afflatu & instinctu divino necesse est evenire, qui idem poëtas quoque ipsos regit; quos, quamdiu sunt mentis compotes, nihil praeclari posse canere, nec unum eundemque in omni carminum genere constat excellere, ut deberet tamen, si ars esset poësis; quin est nonnunquam, qui, ut Tynnichus, unum modo praeclarum valet carmen condere, quemque in reliquis omnibus deserunt Musae. Rhapsodi igitur, a poëta quodam correpti ac inflammati, hunc tantum valent recitare ac enarrare, reliquos omnes aut non intelligentes, aut ab iis non accensi, & extra se rapti; quo fit, ut ab Homero alius, ab He-

fido alius inspiretur quasi, & in dicendo reddatur facundus. Rhapsodus, quae a poeta dicuntur, diiudicat, artium, unde sunt haec petita, ipse ignarus: sic quae de curribus regendis, de medicinis adhibendis, exercitibus ducendis, aliisque rebus quamplurimis saepissime dicit Homerus, diiudicat rhapsodus, licet nec auriga, nec medicus, nec exercituum fit ductor; cum tamen haec omnia, nisi ab artium harum peritis, recte intelligi nequeant ac diiudicari. Rhapsodus itaque cum propriam sibi artem ac provinciam habeat nullam; non arte, sed instinctu divino fit rhapsodus. Haud recte per omnia Platoni procedit ratio: qui artem callet, eum in omnibus eius partibus aequae esse versatum non est necesse; nec concludere ita licet rationem: si quis in pingendis rebus gestis excellit, debere eum quoque imagines optime pingere; aut qui geometriae est peritus, debere eum optimum esse calculatorem, etsi utrumque ad mathematicam pertineat scientiam. Quod autem ad afflatum quendam divinum haec refert Plato, in eo veterum sequitur opinionem, eximia cuncta, & quae vulgi superant captum, Diis tribuentem, quam & hodie multi, rerum naturae haud satis periti, amplectuntur; unde absurda manavit multorum persuasio, Deum esse, qui scientias artesque omnes doceat, sine afflatu divino praestari a nobis nihil egregii praeclarique posse, omnique adeo opera ac studio in id esse incumbendum, ut Deum, aliasque naturas corporis vacuas, seu spiritus, propitios nobis reddamus, quo omnia ab iis, quae cupimus, doceamur. Effecit erronea haec persuasio, ut homines, quibus cupiditas discendi maior, quam ingenium esset, inanem quandam nugisque meris refertam, nec sibi etiam consentientem excogitarent disciplinam, cuius ope familiaritatem cum spiritibus contrahere, eos ad nos invitare, eorumque ministerio mira multa magnaque possumus perpetrare, quam magiae, Cabbalae, aut scientiae theosophicae nomine venditant. Hi multos sui similes, verborum splendore ac obscuritate, & promissorum magnitudine irretiunt, magnoque nisu hominum pervertere sensum

communem ac rationem sanam conantur, non reputantium, neminem unquam e toto hoc genere in literis ac artibus magni quidquam & praeclari fecisse, omnesque, qui de hac arte exstant hodie, scriptores, praeter somnia cerebri aegri, & verba inania, nihil afferre, quo literae artesque iuventur. Platonis ergo haec argumentatio, si ad omnem eius respicias vim, a vero longe aberrat; cum satis superque constet experientia, ad id Deum ingenii nobis, ut & corporis vires esse largitum, ut iis ipsi ad nostram uteremur utilitatem. Sin autem excipias quaedam, & pro instinctu divino substituas ingenium; vera omnino praeclaraque docet: verum namque sine dubio est, non ex quovis ligno fieri Mercurium, & unumquodque ferme negotium suum sibi postulare ingenium. Quod autem in poetis plurimum, immo omnia potius, posse ingenium & naturam, in ceteris artibus haud multum valere, existimarunt antiqui; recentiores praeter philosophiam, nonnullas etiam artes adiecerunt, quibus ingenii omnis potestas circumscriberetur; id factum inde, quod ad haec maxime animum adverterunt. Quod si curiosus paulo iis, quae efficiuntur ab hominibus, animum intendas; in rebus quoque minoris momenti, opificiis, artificiiisque fere omnibus, utramque ingenium & naturam facere paginam, & suum quamque artem postulare ingenium, suamque indolem, animadvertes.

PHILEBUS.

INQUIRITUR in hoc dialogo in boni naturam: & primo quidem loco voluptatem per se esse bonum negatur, aut sapientiam per se sumtam; deinde vero, e voluptate & sapientia conslari bonum, docetur, ita tamen, ut sapientia ac scientia primas & praecipuas sustineant partes, voluptas ultimum occupet locum. Quae afferuntur hic ab interpre-